Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift

tenebrarum inimica lucis. Et conuersi omnes ad eam stridebant dentibus in eam. et unguilis propriis
tetrimas pre furore nimio laniabant genas dicentes. Ecce misera populus quem elegisti. cum quibus
arsura sub imis ima acherontis. Nutrix scandali. amatrix discordie. quare non superbis? Quare non
adulteras? Quare non fornicaris? Ubi est uanitas tua. et uana leticia. Ubi est risus tuus inmoderatus?
Ubi est fortitudo tua. qua plurimis insultabas? Quare nunc non innuis oculis ut solebas? Non teris
pede. non digito loqueris. non prauo corde machinaris malum? His et similibus preterita nil aliud
non plangere potuit misera expectans mortem. a cunctis qui aderant sine mora minatam.
Sed qui non uult mortem pec. et soli competit medicinam prestare post mortem. omnipotens pius et misericors
dominus occulto suo iudicio cuncta bene disponens quod ista pro ut uoluit obtemperauit miseriam.

Misit namque angelum suum in occursum eius. quem *De aduentu angeli. in occursum anime.* ·III·
respiciens a longe uenientem. qui stellam lucidissimam infatigabiles fecerat in eum intuitus.
sperans peccatorum aliquod consilium dandum. Qui cum ei appropinquasset proprio uocans nomine salutauit eum dicens.
Aue inquit mugdale quid agis? Uidens autem ille miser speciosum iuuenem erat enim speci
osus forma pre filiis hominum. audiensque semetipsum proprio nomine ab eo nominatum. pre timore simul et pre gaudio
cum lacrimis talem prorupit in uocem. Heu inquit pater domine. dolores inferni circumdederunt me. preoc.
m. l. m. Cui angelus. Modo inquit uocas me dominum et patrem. quem semper et ubique tecum habebas. et
numquam me tali nomine dignum iudicabas. Qui respondit. Domine ubi umquam te uidi? Aut ubi uocem
tuam dulcissimam umquam audiui? Respondens angelus dixit ei. Ego te semper sequebar a natiuitate
tua. quocumque ibas. et numquam meis consiliis obtemperare uolebas. Et extendens manum in unum im
mundorum spirituum qui pre ceteris maledictis ei magis insultabat. Ecce inquit ille cuius consiliis acquiesces
et meam omnino uoluntatem neglexas. Sed quia deus misericordiam semper prefert iudicio. tibi quod non deerit in debita
eius misericordia. Tamen esto secura. et leta. quia patieris pauca de multis que pateris. nisi tibi subuenisset misericordia redempto
ris. Me ergo sequere et quecumque tibi monstrauero memoriter tene. quia iterum ad corpus tuum debes redire.
Tunc illa anima ultra modum perterrita. accessit ad eum proprio relicto corpore super quod stetat prius. Demo
nes autem hec audientes. et mala que antea illi anime minabantur se inferre non posse conspicientes.
posuerunt os in celum dicentes. O quam iniustus et crudelis est deus. quia quos uult mortificat. et quos uult uiuifi
cat. non sicut promisit unicuique secundum opus suum. et meritum reddit. Liberat animas non liberandas. et dampnat non dampnan
das. Et his dictis in semetipsos insurrexerunt. et quibuscumque poterant alterutrum se plagis dampnaverunt.
et nimio fetore relicto cum in..gentem tristicia. et indignatione recesserunt. Angelus uero precedens dixit
ad animam. Sequere me. Illa autem respondit. Heu domine. non precesseris isti me rapient retro. et sempiternis ig
nibus tradent. Cui angelus. Ne timeas inquit eos. plures enim nobiscum sunt quam cum illis. Si deus nobis
quis contra nos? Cadent quidem a latere tuo m. et x. m. a. t. a. a. non ap. Uerumtamen oc. t. cons. et r. p. ui. Et
tu quidem patieris sicut predixi pauca de multis. que meruisti. Et his dictis profecti sunt. *De prima pena* ·IIII·
Cumque longius simul pergerent et nullum preter splendorem angeli lumen haberent / *homicidarum.*
tandem uenerunt ad uallem ualde terribilem ac tenebrosam mortis caligine coopertam.
Erat enim ualde profunda. et ... carbonibus ardentibus plena. coopertulum habens ferreum quod
spissitudinem habere uidebatur ui. cubitorum quod nimio ardentes superabat candore carbones.
Cuius fetor omnes quas huc usque passa est illa anima superabat tribulationes. Descendebant enim super illam